Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quod habet in ore non perficit. sed continuo tacet. et occurrit ad orationem.
Qua finita. sedet in choro. et quousque sacerdos missam cantaturus
sit vestitus. intendit lectioni. Quam tamen cum primo sedendo audierit signum.
ilico cessat. et surgit. sic etiam ad duo signa que pulsantur ad vesperas vel quae
cumque omnia pulsantur. Veniam quam petit diligenter observat. ne umquam tardius
aut celerius quam alii petat. Cum aliis se summittentibus se summittit. cum aliis se
levantibus se levat ad venias. ad preces. ad orationes. Aliis non legentibus
nec aliud quam solum divinum officium attendentibus. ipse quoque numquam librum
aperit ad legendum. maxime in choro. Nisi aliquando graduale librum
ad maiorem missam propter aliquem cantum qui ad presens cantatur. vel si est illiteratus
ad vesperos librum ymnorum propter aliquem ymnum ea ipsa vice canendum.
Item ad cantica. ad ymnum matutinorum potest inspicere librum. flat
nec tamen proprium mutat locum. nec alio intuitum vertit lumine. nisi illo quod
lucet in commune. Et si sacerdos est ebdomadarius. in collectaneo licet ei
quod opus habuerit providere. capitulum scilicet vel collectam cuiusque instantis
hore. Signa que cum manu fiunt pro locutione. non amat frequenter facere.
conventu maxime cernente. et quotiens facit. facit reverenter et pro ne
cessitate. Ut cetera membra. ita ipsum quoque cohibet visum a vagacitate.
Finita missa cum summo silentio sedet ad lectionem. quousque ministri
et pueri si in loco sunt. redeant de mixto. Qua disciplina sit in refectorio
et quomodo licentiam accipiat sive post alios veniens. sive ante alios discedens.

Ad horam prandii vel cene si in dormitorium non ascendit. lotis
manibus statim intrat refectorium. Ad sedem suam facto ante et retro
in regularem coquinam vel ante cellarium si inventus non est. aliquando ire
potest ut si aliqua re indiget. quam antea ubi querere non potuit.
cellerarium pro hac signis interpellet. Inde rediens. stando reverenter
expectat domnum abbatem. vel si non potest stare sedendo. Si iuvenis est.
super inferius. si provectioris etatis. super sedile superius sedet. Intrante vero